

QUOD JOCI, QUOS PHILOSOPHI PONUNT INTER OFFICIA, PENITUS  
AB ECCLESIA SINT REMOVENDI.

Multa praeterea de ratione dicendi dant praecepta seculares viri, quae nobis praetereunda arbitror, ut de jocandi disciplina. Nam licet interdum honesta joca ac suavia sint, tamen ab ecclesiastica abhorrent regula: quoniam quae in Scripturis sanctis non reperimus, ea quemadmodum usurpare possumus? Cavendum etiam in fabulis, ne inflectant gravitatem severioris propositi. Vae vobis qui ridetis, quia flebitis,<sup>1)</sup> ait Dominus: et nos ridendi materiam requirimus, ut hic ridentes, illic fleamus? Non solum profusos, sed omnes etiam jocos declinandos arbitror: nisi forte plenum tamen suavitatis et gratiae sermonem esse, non indecorum. Nam de voce quid loquar, simplicem et puram esse satis arbitror? Canoram autem esse, naturae est, non industriae. Sit sane distincta pronuntiationis modo, et plena succi virilis, ut agrestem ac subrusticum fugiat sonum, non ut rithmum affectet scenicum, sed mysticum, servet.

DE TRIBUS, QUAE IN VITA ACTIVA NECESSARIO SUNT OBSERVANDA:  
ET QUOD APPETITUM RATIONI CEDERE CONVENIAT.

De ratione dicendi satis dictum puto: nunc de actione vitae quid congruat, consideremus. Tria autem in hoc genere spectanda cernimus. Unum, ut rationi appetitus non reluctetur. Hoc enim solummodo possunt officia nostra illi decoro convenire. Si enim appetitus rationi obediat, facile id quod deceat in omnibus officiis conservari potest. Deinde, ne majore studio, quam res ipsa est, quae suscipitur, vel minore, aut parvam magno ambitu suscepisse, aut magnam inferiore destituisse videamur. Tertium de moderatione studiorum, operumque nostrorum. De ordine quoque rerum, et de opportunitate temporum, non dissimulandum puto. Sed

\*) Id est mysteriorum sanctiati congruum.

1) Luc. 6.